



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac
Maxime Illustrium**

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Crucis Augustanum cœnobium instituti & ordinis regularium
Canonicorum S. Augustini, ex Hamelbergo ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

S. CRUCIS Augustanum cœnobium instituti & ordinis reguliarium Canonicorum S. Augustini, ex Hamelbergo (ubi ante situm fuerat) in Augustam Vindelicam translatum est anno Domini 1194. per Episcopum Augustanum, Udalischalcum, Comitem à Thennenlohe, primum hujus cœnobii intra Augustanæ urbis moenia fundatorem : quod primum à Marfallis de Biberach in Mutterhofen pago inchoatum, mox inde à Conrado, Antistite Augustano, Comite Luzensteinio, in Hamelbergum montem Augustanæ urbi vicinum, & inde tandem iterum, ut prius dictum, ab Udalischalco in urbem translatum est. In eo semper divertere solet Legatus Pontificius, si quis è Roma ad Imperialia Comitia Augustæ celebranda mittitur : quemadmodum hoc currente Jubile, à Julio III. P. M. missus est cum potestate Legati de Latere Reverendissimus in Christo pater ac D. D. Sebastianus Pighinus, Archiepiscopus Sipontinus, summiq; Pontificis in judicio Rotæ locumtenens, qui singulari clementia labores hos meos intuens, quos per decennium jam penè in celebrandis Ecclesiasticis Germaniae monumentis fero, autoritate

Bruschein. Apostolica Comitem Palatinum me in hoc ipso cœnobio creavit Comes vit, satis liberaliter ostendens, quo sit erga omnes honestas literas Palat. animo, qua pietate affectus. Rectorum vero hujus loci (præpositos vocant) talis extat catalogus.

1. *Bertholdus* eligitur anno 1199. vir sacris studiis totus deditus. Quàmdui præfuerit, aut quo anno obierit, ignoratur.
2. *Udalricus* præfuit anno 1234.
3. *Bertholdus* anno 1270.
4. *Henricus de Laugingiaco* eligitur anno 1298. Præfuit prudenter annis 46. Decesit ex hac vita anno Domini 1344.
5. *Arnoldus Henrico* succedit. Præfuit 14. annis. Obiit anno 1358. 5. Kalend. Aprilis.
6. *Udalricus Gerstboerus* præfuit 27. annis. Obiit anno Domini 1386. sepultus ad aram S. Egidii.
7. *Conradus*, præfuit annis vix duobus integris.

8. *Hen-*

8. *Henricus* constituitur præpositoriae gubernator an. 1388. Præfuit per unum saltem annum. Obiit anno 1389.
9. *Udalricus Henrico* successit & eodem anno etiam decessit.
10. *Petrus* eligitur in præpositum anno Domini 1389. Præfuit annis 7.
11. *Nicolaus* successit Petro concorditer electus anno 1396. Præfuit duobus tantum annis.
12. *Petrus Stauberus* subrogatur Nicolao anno 1398. Præfuit 9. annis. Obiit in vigilia Martini anno Domini 1407. Sepelitur sub saxo marmoreo in Ecclesiæ pavimento.
13. *Henricus Endorffer*, Augustanus, Petri aliquamdiu coadjutor, in præpositum eligitur anno 1407. Præfuit laudabiliter 28. annis. Obiit anno Domini 1435. in die Pirminii.
14. *Stephanus Secherlinus* præfuit quinq; annis. Moritur anno Domini 1440. sepultus in S. Crucis Ecclesia, pridie Leonhardi.
15. *Joannes Dachs*, Augustanus, eligitur anno 1440. vir prudenter & sapientia præditus singulari. Præfuit 30. annis, quibus collapsum monasterium quasi de novo præclare erexit & diligentia economiæ gubernatione plurimum auxit. Reformavit item cenobium per Joannem Schirmium, Abbatem postea designatum in Understorffo, Bavarico cœnobio. Invenitur mortuus in cubiculo suo.
16. *Udalricus Burgschniderus* successit Joanni, & tribus annis, nec illis tamen plenis præfuit. Obiit extra monasterium pridie Idus Junii anno 1474. apoplexia, quod esset obeso corpore & iusto intemperantior, quo malum sibi tale accerserat.
17. *Joannes Fuchs*, valde injuriis civitati, & vulpinis technis adversus eam plurimis utens, eligitur præsente Reverendissimo Episcopo Augustano, Domino Joanne de Werdenberg, ex clericis seculari & concionatore in Præpositum anno 1474. Construxit totum dormitorium de novo: superiorem item chorum & ambitum novum, demolito veteri. Turrim in summitate refecit, quod tempestate & fulmine tacta cecidisset in die S. Petri, quo die etiam S. Ulrici Ecclesia corruit, tempestatis & ventorum

Ecc

torum

torum vi impulsa & labefactata. Fecit vero eandem turrim de albari, ut magis esset conspicua. Fuit piscium & vivariorum admodum studiosus. Sacellum autem S. Nicolai in Muttershofen, loco, ubi antiquitus incepturn fuerat monasterium, renovavit & consecrari fecit. Obiit longa ægritudine fatigatus postridie D. Benedicti anno Domini 1488. cum præfuisset annis 14. integris.

18. *Vitus Faclerus* successit Joanni anno 1488. quo condidit statim conservatorium clinodiorum in veteribus templi adytis. Præfuit utilissime annis 29. quibus plurima construxit cœnomiae admodum utilia: imprimis vero facellum Præpositi, horreum novum, & totam Ecclesiam S. Crucis ex imis fundamentis novam cuproq; teftam anno 1500. Absoluto templo, post annos quatuor turris eidem templo adjuncta, usque ad campanas dejecta, & denuo sexaginta pedum altitudine in sublime iterum evecta, & cupro (quemadmodum prius templum) tefta, aureisque epistylis, aureaç; cruce insignita est. Fecit fundimagnam campanam 52. centeniorum. Obiit tandem anno Dñi 1517.

19. *Jacobus Wægelinus*, ex Riedlingo Sueviæ oppido ad Danubium sito natus, electus & confirmatus est in vigilia Annunciationis Mariæ anno 1517. Fuit clemens conventui suo & magis propitius, quam fuerat antecessor. Fuit & utilis & beneficus gubernator, et si tantum per quadriennium præfuerit, quo textitotam Ecclesiam cupro, quemadmodum opus illud antecessor incepérat. Obiit anno Domini 1521. penultima Maij.

20. *Christophorus Gailius*, Dillingensis, fubrogatur statim in Kalendis Junii. Præfuit laudabiliter annis 21. Obiit 6. Decemb. anni à nato Christo 1542. Secessit Dillingum in civitatem Episcopalem ad Danubium situm anno 1537. in die S. Antonii, propter mutatam Augustæ religionem. Inde postea monachi Landsbergum (quod oppidum Bavariae est, ad Lycum amnem supra Augustam Vindelicam situm) profecti sunt in ipso bello Germanico anno 1546.

21. *Bernhardus Werlinus*, ex Gundelfingiaco natus, quod est Palatinorum oppidum, ad Brentium amnem situm, eligitur anno 1545. die 18. Octobrium, confirmaturq; sequenti die statim.

Rediit

Rediit Augustam in vigilia Hilariae anno 1548. præsente Imperatore Carolo V. Construxit novas domos ē regione cœmiterii anno Domini 1549. Præest adhuc currente hoc Jubileo.



SCRUCIS Benedictinum monasterium, quod est intra muros Imperialis oppidi Lonawerdæ, id est, Danubianæ peninsule (peninsulam enim Germani Werd vocant) præclarum ^{Werd!} fane, fundatum legitur initio pro Deo dicatis Virginibus à Man- ^{quid Ger-} goldo, Comite Dillingensi & Kiburgensi, & conjugc ejus, Do- ^{manis.} mina Tuta, anno Christi 1100. auctum tandem ab aliis duobus Mangoldis, ejusdem stemmati Comitibus, qui omnes in capi- tulari ejus cœnobii domo honorifice sub insigni Mausoleo sepul- tisunt cum tali epigraphe :

*Tres fundatores Mangoldi, Tutaq; flores
Cœlestis prati, pausan simul hic tumulati.*

Est eodem loco celebris sepultura Marsallorum de Bappen- heim. Sepelitur in eodem etiam templo quædam Principissæ à proprio marito Ludovico Bavarо propter iufpiciones quasdam trucidata, cum tali inscriptione : Anno Domini 1256. decima quinta Kalend. Februarii in castro Werd obiit Domina Maria, Ducissa Bavariæ, filia Ducis de Brabant: de qua videbis, quæ annotabimus in Fürstenfeldensi Abbatia.

Prima hujus loci Abbatissæ designata legitur Domina Gund- radis, primi fundatoris Mangoldi ex Domina Tuta filia , de qua nihil tamen amplius in literas relatum invenio : quemadmodum etiam hoc ignoratur , quando & quam ob causam sexus mutatus sit. Postremos Abbates hos tantum reperi, reliquis omnibus amissis in proximo bello Germanico , quo cœnobium à Smalcal- dici foederis militibus occupatum, direptum & miserrime spoli- atum est.

2. *Theodoricus* Abbas præfuit annis Christi 1135. & 1166. ut Chronicon Cœsariense testatur. Unde liquet, locum istum non diu à monialibus habitatum fuisse. Post istum Abbatem magnus hiatus est; plurimi enim desiderantur.

Ecc 2

3. Bar-

*Abbatum
series.*